Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 995
Quelle:
Copyright:

cio ſuper platonem, inde fortaſſis, quod *Macrobius* primis illico verbis *Platonem* memoret. Lectio cum hujus, tum *Ciceronis* ſatis ſincera eſt. Utrique Notulas tam inter lineas, quam ad marginem adſperſit coaeva manus; multo tamen copioſius *Macrobio*. Incipit hic: *Inter platonis et ciceronis libros, quos de republica uterque conſtituit* &c. Atque malim hoc pro: *utrumque conſtituiſſe conſtat*, quod habent Editt. *Gronovianae Lugd. Bat. 1670.* et *Lond.* 1694. Similiter paullo poſt, ubi Edita: *Sed quod vel illi commento tali — opus fuerit* &c. praeferenda Noſtri lectio: *Sed quid* &c. Ceterum caute diſcriminandae ſunt Notulae adventitiae ab iis, quae plurium *Codd.* fide ad ipſum Textum pertinere queunt. Ita mox ſub principium *τω a quodam vitę reddito* ſuperſcriptum eſt: *ſeu here* ſcilicet *Ere*, quem Autor *eod. Cap. Platonicum* vocat. Mox iis verbis: *a tulliano Scipione ingeſta* ſuperjacet *per quietem*, quod utique *Codices mſs.* et Edita recipiunt. Hinc liquida fit etiam labes illa, quae per ignorantes Librarios ſaepius in *Codices* fluxit, dum Notas textui adjectas ipſi temere inſererent, ut hic ſtatim ab ingreſſu accidit; legitur enim: *operis ſimilitudinem ſeruauit intentio uel imitatio* voculis *intentio uel* manifeſte in lineam Textus delapſis. Abrumpitur Opus in his L. II. C. 16. verbis: *non poſſe animam ſe movere, ne eadem et moveatur — —*.

Ad compingendum Codicem primum adſumtum eſt folium, in quo ſcriptae ſunt Literae dimiſſionis F. *Nicolai Spatz de Rottenburg* e familia Canonicorum Reg. Coenobii *Hegenenſis* Dioec. *Wormat.* Priore *Henrico*, Anno 1455. *in die Cathedrae S. Petri*, altera dein lacinia complexa *Virgilii Eclogam* X. a v. *Maenalus et gelidi* &c. usque ad v. *Pierides vos haec facietis* &c. tertia denique repraeſentans finem Scenae ult. *Hecyrae Terentianae* a verbis: *atque ingenium obtines, ut unus hominum homo* &c.

CCLXXV. VI 7. 11.

Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. 190. 8. formae paene quadrae, nitidiſſime exaratus, titulis uncialibus miniatis, integerrimus et optimae notae inſcribitur: *In Nomine Domini Incipit Liber. Prognoſticorum. Futuri Saeculi. Dalio* (Idalio). *Barchinonenſis. Sedis Epiſcopo. Julianus Toletanae Sedis Epiſcopus.* Cum *Cod.* CCCXLV. aliud Sec. XII. Exemplar recenſeamus, dabimus hujus quoque exactam deſcriptionem. Itaque p. 2. incipit Prologus: *Diem illum clara redemptoris omnium exceptione conſpicuum* &c. Fol. 9. p. 2. *Oratio* ſequitur: *Deſertum idumeae. caecus et morbidus poſſeſſor* &c. Fol. 12. *Incipiunt Capitula Libri Primi De Origine Mortis Humanae.* Quae ſunt numero XXII. Fol. 15. *Incipit Liber. I. De Origine Mortis*